



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pe pagomenus>

Lvtetiae, 1612

xxxii. Ad scabiem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

Si canem asilus momorderit.

SIluestrem rutam, seu inguinalem, incendito, ac locum, quem tabanus morsu impetivit, fumo lenito, & aceto inungito.

Ad curandam exulcerationem seu cicatricem.

LYthargirium cum spuma nitri vbi combusseris, terito, hisque admisce mel & acetum; quibus deinde exulcerationem tamdiu inunges donec coeat.

Si vapularit canis nec vbi doleat cognoscere possis.

ADuersus solem constitue canem, & in alocum læsum muscæ conuolabunt, atque sic locum dolentem deprehendes; ipsum vero locum calida fouebis, atque hordei farinam calefactam & permixtam stercori bubulo ac fuscæ, impones.

Ad scabiem.

CErussam, resinam seuum bubulum & butyrum lentisco vna miscens, coquito, ac sic canem inungito.

Aliud.

Accipe seuum caninum aut erinaceum, & in olla noua liqua, ac vbi videris exi-

Z

guas bullas emittere, remoue paululum ab igne ollam, injice resinam puram, probe tritam, & moue, ne inter ebulliendum seuum effundatur. resinæ autem tantum accipiendum, quantum est seu. deinde accipe herbam, quam dicunt cynocheстam, viridem, cuius flos coactus liquorem ex se emittit; qui deinde in olla ad ignem bulliat, post reliquis admisceatur, quibus tum probe mixtis, canem inunges.

*Ad manantia oris ulcera, que Graci
d^oθas vocant.*

HOrdei farinam terito vna cum aceto. & vnge canem; post vero mundato diligenter. non obfuerit autem, si oleo vxeris.

Si canis vngues abiiciat.

CYminum in os accipiēs mandito, mansum deinde in vnguem canis conspu: hoc si decem dies feceris, vnguis dubio procul succresceret.

Si conuerterit coxam.

HOrdei quod est purissimum pinsum; post, coriandri grana, crocum, ouum gallinæ, ac seuum quantum est satis, tere ac misce, lana deinde loco dolenti impo-